



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Admirandâ petentiâ virum mulier corrigit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Annales Soc.
Iesu An. 1585.
in Missione
ad Chichi-
mecas, in
Prouinc. Me-
xicap.

non amare potuissent. In Annis litteris Societatis nostræ Indus quidam legitur aluisse domi suæ, in oculis coniugis, concubinam, non tam Venerem vt expleret, quàm vt coniugem irritaret. Huic nocturnas per tenebras, visa est horribilis cæterua dæmonum, qui cubantis prementes fauces, animam intercluderent: vt ne manum quidem admouere posset ad imprimendum pectori crucis signum. Verùm ad eò patiens fuit vxor eius, vt non modò non gauderet, aut insultaret marito, sed etiam doleret, & Deum Deiq̃ Matrem, pro eo precaretur. Itaque implorata Virgine Maria, per vxorem melius viro est factum. Postero igitur die, positis ritè noxis, sic deinceps est immutatus, vt familiarissimi non cognouerint eundem fuisse. Multi alij tales coniugum patientia in viam redierunt. Si vxores sciuissent, Furiarum instar, tunc vtique non conciliari fuissent, sed eas magis abominati. Cui enim volupe est cum Furia habitare?

III.
Bonignor.
Cacciaguerra de Sac.
commun. l. 3.
cap. 26.

Memorable admodum est, quod insignis celebrisque Theologus Bonignorius Cacciaguerra memorat de Christiana muliere fortissima, quæ non narratione, sed oculis suis accepit, mariti adulterinos amores. Ille enim haud contentus in lustra se abdere, atque infames leonum domus adire, sed ita quoq; in illicitam Venerem insaniit, vt in proprias ædes, & fidelissimæ coniugis conspectum, storta adduceret, publicus adulter. Vitium enim hoc, cum vt flamma creuit, erumpit, neque sine se in occulto cohiberi, & quomodo erubesceret, qui frontem amisit? Vxor igitur pietati dedita, ac Dei magis, quàm suam causam agens, identidem occasionem captans, maritum, quàm potuit blandissimè, rogauit, ne tales in domum introduceret, aut fidem sibi datam porrò violaret. Ob quam mitissimam admonitionem, asperè tractata est, & plerunque totidem verbera recepit, quot verba fecit. Aliquando peccatum mariti magis, quàm furorem verita, eiusmodi eum sermone est affata. *Dis est, mi coniunx, cum te patior exorbitantem, & tori iura transgredientem; pone, obsecro, tandem obscenitatibus tuis modum ac finem. Hac vitæ tibi & opes prodigit, & nomen bonum. In nulla te vnquam re lesi; tu autem quando cessabis me, quid dico, mi? Deum offenderet*

cuius me iniuria magis tangunt, quam propria. Crede mihi, adulteros ille grauitate solet punire: quorum scelera si, ad tempus, dissimulat, tandem grauitate supplicij compensat tarditatem. Dixit; & commouit virum, sed sicut furiosum, ad iram & crudelitatem. Stricto enim ferro eam adeò atrociter fauciauit, vt semianimè relinqueret. Aduolarunt ad tumultum vndique vicini, atque, vbi castissimam matronam ore pallidam, corpore reliquo, in suo sanguine iacentem repererunt, suaserunt sicario fugam, antè, quam magistratus illum in vincula abduceret. Hic rarum, in muliere, fortitudinis atque patientiæ exemplum audite. Aliæ coniuges sic tractatæ mille Diris & deuotionibus persecutæ fuissent fugitiuum; vel se exanimatas finxissent: hæc recens percussa, & vulneribus plena contrarium egit. Iam rapuerat maritum pallium, vt fuga sibi consuleret, cum cruentatis manibus vxor, in caelum sublatis, & oculis fletu sanguinem abluentibus, eum coepit, quàm amantissimè alloqui, atque obtestari, ne fugeret. *Mi marite, aiebat, mane mecum; noque tibi quidquam metue: misericors Deus ita tibi ignoscet, longèque libentius, vt ego tibi, ex animi mei sententia, jam ignoui. Ea planè spesum, vt confidam, nihil tibi mali euenturum, ob vulnera, quibus me concidisti. Quòd si etiam necessum esse videro, ipsa ego te, quibuscunque modis potero, excusabo.* Hæc tam heroica patientia audientibus in doctrinam, adultero autem fuit in medicinam. Addit author, eam femina huic tam admirandam animi fortitudinem aliunde non prouenisse, quàm è frequenti vsu sacrae communionis. Solebat enim mulier illa, octauo quoque die, ad sacram synaxim accedere. In fortitudine igitur cibi illius, plagas tam atroces, Spartana, immò Christiana nobilitate, tolerauit. Utinam & aliæ coniuges ad hoc diuinum epulum libentius, quàm ad nuptiales dapes, & choreas iuuenum accederent. Discrepent utique mansuetudine sua, vel ferocissimos viros cicurare. Illæ enim, quæ pro verbo verba; pro vultuoso aspectu, sputa jaciunt, claues arripiunt, vngues stringunt, pugnos vibrant, mille pestilentias imprecantur, mille diabolos maritis optant; non habent artem maritorum placandorum; sed oleum flammæ affundunt, coniugesque domo exigunt. Quis enim

sustineat, cum Hecuba, sub eodem tecto degere? Notissimum est, quod supra attigi, fuisse, qui suspendi in furcam mallet, quàm laqueo liberari, ab ea femina, quæ eum, dum jam duceretur, in matrimonium sibi deposcebat. Iudicauerat enim ex acumine nasi, nimis esse biliosam, eaque propter, cum carnisfice potiùs ad coruos pergere, quàm ad perpetuam litem, deum redire malebat. Vique adeò, ipso patibulo maior erit est, *habitare cum muliere rixosa & iracunda.*

Prou. 21. 19.

IV.

Marc. 6. 24.
Matth. 14. 8.

Quod si quis iracundæ mulieris, & maximè etiam adulteræ exemplum cupit audire, S. Marcum adeat, aut Matthæum. legat: inueniet mœcham, apud regem, effecisse, vt inter epulas, ferale illud ferculum in mensam inferretur, atque inter pictos pauones, inter phasianos, inter capita aprorum, cruentum. Ioannis Baptistæ caput, manibus sanguine stillantibus apponeretur. Quis ibi sapientiam Numinis non cernit? Ex immanissimæ mulieris libidine nata crudelitas illustrissimum Martyrem Deo dedit. Truncatus est ferro, qui noluit conuiuere adulterio. Crimen innocens reprehendit, & mortem meruit: mortem, quæ pariter & iniuria fuit, & corona. Nam Furia illa, mortem illi, in pœnam procurauit, Deus in coronam. Quare vade adulterium, inde & martyrium extitit; mulieris malitia, Numinis prouidentia.

V.

Sur. 3. Iulij.

Quæ sanè etiam de alterius mœchæ flagitio sibi Martyrem fecit. Siquidem instar nouæ Herodiadis, Echnica mulier, ac Ducissa Geilana, legitimo coniuge perfidè deserto, Herbipoli, Gosberto Franconum Duci, per adulterij consuetudinem, adhæsit; quantumuis legitimi sui coniugis ille Germanus frater esset. Herodiadem habebat Francônia, debebat habere & Joannem. Igitur misit, ea tempestate, Summus Pontifex Conon D. Kilianum in illas terræ partes, vt inibi Christum predicaret. Nec cecidit semen in sterilem agrum. Ducem enim Gosbertum Christiana religione imbuit, atque lustralibus aquis tinxit. Dum eum caelesti pietate erudiret, monuit, fas non esse Christiano, eiusmodi mulierem, contra diuina & humana iura, secum retinere. Et habuit docilem ad omnia. Nam eius verbis eius persuasus, statuit eam, quàm primò e bello redijisse,

(bellum